

3253

SYNODICI.

3254

*Mücht es gesebn Cristlicher Zucht
ich redt gern von Luterischer frucht
was Tugent sie sich geflissen
wolten eurn glauben wissen &c.*

Finis:

*Ach herr gedenck wir sein getauft
darzu mit christus Phuet erkaufft.*

XIX. fol. 219. Quaedam ad Rupertum de Mosheim olim Pafsor. Eccl. Can. et Decanum, de quo Cod. DXXXIII. pertinentia, et in primis ea, quae de IV. Libris suis de Monarchia et Palingenesia christiana Fidei per Julium Pflugium, per Cancellarium Mogunt. et D. Jacobum Reiter ad Electorem Mog. referri voluit, lingua germanica; dein latine: *Iudicium datum Sacre Re. Maieſtati per doctorem Nauseam et Johann. Cocleum super negotio Ruperti de Mosheim Decani olim Patavienſis. Acta Hagnoe Mense Julio Anno. 1540.* Brevis, sed graphica Hominis fanatici adumbratio.

DCCCCLXVII.

¹²⁴ Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 283. f. *Johannis Fabri Ep. Viennensis Adversariis* addendus, eiusque olim *ἔρμα*, ut, cum formula impressa thecae adglutinata, tum manu *Henrici Pffleger* scripta testatum facit, continet sequentia: I. *Decretum Concilii Constantiensis*, quo decernit *Communione sub utraque specie non esse sub praecepto*, et

quod uniuniversalis ecclesie consuetudo de Communionem sub una specie servanda sit, secus facientes aut sentientes impie sentire decernit. Pertinet ad Sessionem generalem XIII. an. 1415. 15. Junii celebratam, legiturque apud *Labbeum T. XVI. Concc. edit. Venet. col. 218.* et *Herm. von der Hardt Concil. Const. T. IV. P. 4. p. 332.* cum nonnullis Variantibus.

II. fol. 3. *Abiuratio Hieronymi de Praga.* Pertinet ad Sessionem XIX. 23. Septembr. habeturque apud *Labbeum col. 292.* et *Herm. von der Hardt P. 8. p. 503.*

III. fol. 8. *Declarationes novae Iglavienses Compastatorum Pragensium anni 1433.* Extant in *Leibnitii Mantissa Cod. J. G. diplom. p. 147.* datae *Iglaviae Olomucensis Diocesis die quinta mensis Julij. Anno domini 1436.* Sed non viderit magnus *Leibnitius* Descriptiones VI. *Sigillorum*, quae in *Codice* nostro additae sunt, videlicet *Sigismundi Imp. Alberti Ducis Austriae*, et *Legatorum Concilii Basil. ad Bohemos et Moravos Philiberti Ep. Constantiensis Prov. Rothomag. Job. de Palomar Archidiaconi Barchinonens. Martini Bernerii Decani Turo-*
nens.

3255

C O D I C E S

3256

nenf. et *Thomas de Haselbach* Theol. Professoris Vindobonens. quae sic incipiunt: *Quae quidem litterae existunt sex Sigillis appensis roboratae. Primum sigillum est Maiestatis imperialis appensum compactatis. Confectum est de cera glauca &c.*

IV. fol. 16. *Consilium facultatis theologicae Pragensis, a principio Hussitarum, cui consilio si fuisset obtemperatum, nullo pacto tot mala sequuta essent. Habetur hoc Scriptum catholicum Job. Cocblaei Hist. Hussit. L. I. p. 29. totidem verbis. Administrator Archiepiscopatus, qui in clausula nominatur, fuit Conradus Ep. Olomucensis, Scriptumque ipsum confectum an. 1413.*

V. fol. 24. *Compactata inita cum Bobemis et Moravis, quibus admittitur sub utraque specie communio, his solum qui ad annos discretionis uenerunt, cum alijs nonnullis adiectis conditionibus. Declarationes horum Compactatorum Iglaviae factas supra ad N. III. vidimus. Ipsa Compactata edidit Cocblaeus supracit. L. VII. p. 271. et Leibnitius cit. p. 138. Nobis tamen praeit Ingressus 19. linear. hoc principio: Nos Pbilibertus dei et apostolice sedis gratia constantiensis Episcopus prouintiae Rotbomagensis. Joannes de Polomar Archidiaconus Barchinonensis &c. cujus neuter meminit. Acta sunt haec circa festum S. Martini et conclusa ult. Novembr. Pragae in Collegio Caroli 1433.*

VI. fol. 32. *Extractum ex Picardorum Bobemiae libris impressis,*

quibus maxime continentur blasphemiae contra sacerdotium nouae legis, Eucharistiae sacramentum, et sacrificium missae. Incipit: Sicut olim Valdenses heretici gratiosissimum sanctae memoriae regem Wladislaum callida fraude deceperunt, dicentes se plane credere, si Christus lapidem accipiendo suum corpus dixisset (vide primam illorum Confessionem, Lips. typis Melch. Lotteri 1512. p. 5. f.) Sic moderni heretici nonnullos bonos uiros, generosissimosque dominos suis astutijs seduxerunt, quas scilicet astutias ipsi boni viri ignorantes sacrae regiae maiestati scribentes testimonium dederunt in articulo tredecimo de eis dicentes nunquam eos blasphemos corporis et sanguinis Christi fuisse, nec futuros. Sed profecto liber excussus in recentiori Bolestauia horrendissimos eos blasphemos fuisse et adhuc esse ostendit, ut luce clarius patebit ex articulis subscriptis, quos de praefato libro accepi. Articulum tredecimum ex Confessione acceptum puto, quam Fratres Bohemici Ferdinando I. an. 1535. obtulere, quaeque Witebergae lucem vidit 1573. 8. Sequuntur deinceps excerpta ex praedicto Libro Bolestauensi.

VII. fol. 38. *Responsum Papae Pij Secundi, Datum Oratoribus regis Georgij (Podiebradi) declarans Bobemos abuti compactatis. Extat impressum Leibnitii Mantissae suprac. p. 159. Legationis vero hujus, quae in an. 1462. incidit, successum narrat Cocblaeus Hist. Hussit. L. XII. p. 426.*

VIII.

3257

S Y N O D I C I.

3258

VIII. fol. 44. *Copia Mandati ad Subditos Regni Bobemiae, et March. Moraviae pro pace servanda dati Iglauia 12. Julii 1436.* Legitur apud *Cochl. L. VIII. p. 295.* et *Leibnit. p. 155.* Verum huic *Oratorum* nomina desunt, quae *Codex* noster subtexit, quaeque hic a *Cochlaeo*, vel *Cochlaeus* ab hoc mutuatus est.

IX. fol. 48. *Excerpta ex tabulis terrae (Landtafel) libro rubeo Memorialium.* Duo continent: I. ut per annos 31. Communicantes sub una vel duabus speciebus se mutuo non impetant aut turbent, Conciliique *Basileensis* Concordiam fervent, adsintque priores posterioribus auxilio et consilio, si hi legationem ad summum Pontificem mittere voluerint. Subscriptum: *Facta sunt haec Anno 1501. Ipsa concordia facta est in montibus Cuthnis (Kuttenberg) quatuor statibus, principum, baronum, nobilium atque civitatum. Anno 1485.* De his Comitibus *Wladislai* regis agit *Hagecii Chronicon* ad b. a. II. Sententiam hujus regis et Procerum pro accusatore *Petro Sflaybor de Tisowa* contra *Nicolaum Kostky*, qui Sacerdotem Plebanum Sacramentum sub una Specie distribuentem ex *Gistebnitz* ejiciendo supra dictam Concordiam laeserat. Ad calcem: *Hec ex tabulis terre libro rubeo Memorialium. D. VII.* Est Exemplum duplex.

X. fol. 56. *Sententia damnationis doctriinae Joannis Vuicleff et articulorum quadraginta quinque.* Vide *Acta Sessionis VIII. Concilii Constant.* habitae 4. *Maji 1415.* Denis *Codd. Theol. V. I. P. III.*

tam *Labbei T. XVI. col. 119.* quam *Herm. von der Hardt T. IV. P. 5. p. 153.* Articulo 26. loco *Praesciti* male legit *Noster Privati.*

XI. fol. 63. *Fragmentum Consilii Ferdinando I. dati de reducenda per Bohemiam, in qua Valdenses alio nomine Picardi, Lutbergni, Zwingliani et Calixtini dari dicuntur, Religionis unitate.* Horum *Picardi* maxime describuntur. Initium est: *Sereniss. pientiss. et clementissime Rex. Hanc piam, sanctam, et per omnia salutiferam cogitationem, qua sacra Regia V.^{ta} M.^{tes} cogitare et studere coepit, inclytum suum regnum Bobemiae, ac animos Bobemorum, ad unitatem reducere, Nemo satis laudare poterit &c.* *Job. Fabrum* autorem putem. Integrum habetur *Cod. CCCCLI.*

XII. fol. 70. *Summarium ac breue extractum, in quibus articulis huius temporis picardi, qui per Bohemiam et Moraviam degunt, inter se et in sua professione: itemque falsa religione disfidant et discordant.* Incipit: *Est autem argumentum huius compendij. Quod serenissimo et clementissimo Romanorum, Hungariae et Bobemiae regi nostro duo sunt oblata libelli. Quorum alter impressus est in Bobemia, Anno salutis nostrae 1532. Alter uero hoc Anno currenti 1535. scriptus ad praefatum regem nostrum inclytum &c.* Itaque per *Articulos XXXVIII.* contraria *Picardorum Bohemicorum et Moravicornum doctrina*, autore, ut videtur, eodem *Job. Fabro*, ostenditur. B b b

3259

C O D I C E S

3260

tur. De Libello anni 1535. dixi ad N. VI. Conferri item potest *Joach. Camerarii Hist. Narratio de Eccles. Fratr. in Bob. et Morav.* p. 99.

XIII. fol. 80. *Consilium Facultatis Theologicae Pragensis anni 1413. Contra Job. Hussum*, uti N. IV. Sed hic praecedit historica *Narratio*, uti apud *Cochlaeum*, quae incipit: *Ceterum mortuo apud Posonium Vngariae urbem &c.* ut adeo rem ex *Cochl. edit.* anni 1522. descriptam arbitrer.

XIV. fol. 86. Aliud Exemplar *Summae Picardicarum rerum* supra N. XII.

XV. fol. 94. *Determinatio sacri Concilij (Basil.) super modo communionis in sessione tricesima facta. i. e. X. Kal. Jan. 1437.* Extat *Labbei T. XVII. col. 370.* et apud *Cochl. Hist. Hussit. L. VIII.* p. 309. unde una cum sequentibus *Autoris* animadversionibus huc transcripta est.

XVI. fol. 100. *Viginti quatuor articuli Concilij Constantien. pro reducendis Bobemis ad unitatem Ecclesiae.* Extant apud *Labbeum T. XVI. col. 742.* *Harduinum T. VIII. col. 896.* *Herm. von der Hardt T. IV. P. 12. p. 1514.* et *Leibnitium supracit.* p. 133. Primi tres expresse *Codicem* nostrum citant, nulla nota chronologica insignitum, et tamen *Harduinus* cum *Labbeo* Articulos hos Sessioni XLIV. seu 19. Apr. 1418. adtribuit, *Hardtius* vero ad Sess. XLII. i. e. 28. Dec. 1417. retrahit, cui suffragatur *Leibnitius* titulo suo annum 1417.

adjiciens. Denique et *Cochlaeus Hist. Hussit. L. IV. p. 165.* eos ad hunc annum recenset.

XVII. fol. 106. *Decretum Synodi Basiliensis super modo Communionis Sessione tricesima.* Ut supra N. XV. sed hic sine *Cochlaei* animadversionibus.

XVIII. fol. 110. *Responsa Legatorum Concilij ad dubia Bobemorum.* Ut supra N. III. Sed abest descriptio Sigillorum.

XIX. fol. 118. *Numerus parochiarum regni Bobemig, ubi uix media pars pastores habent, inde tantus errantium ouium et sine pastore uiuentium numerus.* Sequitur dein *Indiculus Parochiarum Dioecesis Pragenae secundum Archidiaconatus*, ex quibus *Pragensi* 312. *Becbinensi* 228. *Pylzneni* 205. *Boleslauensi* 159. *Gurmicensi* (Curimensi) 273. *Grecensi* 373. *Horsouieni* 48. *Zatezensi* 181. *Bilnensi* 70. *Lytbomericensi* 80. *Ecclesiae* tribuuntur, quae collectae 1930. *Ecclesias* efficiunt. Adjiciuntur his *Claustra* 64. praeter *mendicantium. Ciuitates munitae et oppida* 700. *Castra* 130. Confer, si lubet, *Indiculum* hunc, quem a. 1534. scriptum *infra* videbimus, cum eo, quem *Bob. Balbinus Miscell. Dec. I. L. 5. p. 9.* ex *Cod.* anni 1384. exhibet, et conjicies, quantum ab eo tempore *Sacrorum cura* prolapsa fuerit.

XX. fol. 122. *Deliberatio Episcopi Viennen. (Joh. Fabri) Administratoris (Archiepiscopatus Prag. Ernesti de Schleinitz) Regii Concionatoris (Frid. Nauseae)*

ac

ac aliorum Prelatorum habita et conclusa, baronibusque ac nobilibus statuum sub una specie oblata. In materia Picardorum. Anno MDXXXVII. die 30. Mensis Maij. Incipit: Ad ea, quæ hesternæ die, hoc est uicesima nona Maij hinc inde inter nos sub una, atque eos qui sub utraque dicuntur &c. Res extendit, ut definant Utraquiste fovere Picardos, eorum conventicula et librorum impressionem prohibeant &c.

XXI. fol. 126. Summarium Scripturarum — Regi Ferdinando datarum pro unione religionis in Regno Bohemie. Per Joban. Fab. Epi. Viennensem. Anno salutis nostræ MD. XXXVII. Est Indiculus 23. Scriptorum, partim in hoc ipso Codice contentorum, partim reperiendorum apud Autores, qui illius occasione hætenus citati sunt.

XXII. fol. 130. Summarium impiæ et pharisaicæ Picardorum religionis. Incipit: Picardi nullas habent ecclesias, sed in prophanis domibus conueniunt &c. Memorabile, quod jam suo ævo dicat Faber, nonnullos eorum cum Judæis sabbatum celebrare. Finit: Isti articuli sunt selecti ex libris Waldensium fratrum quorum ductores, uel potius dicam, seductores in malignanti conuenticulo recentioris Boleslauia sunt, ubi pessimos et erroribus refertos libros excusserunt, imo et in monte oliueti. (Litomislia)

XXIII. fol. 136. Opuscula quedam Reuerendissimi domini D. Joannis Fabri episcopi Viennensis. Sunt numero XII. cum separatim saepius, tum conjunctim edita Lip-

sia per Nic. Wolrab 1537. f. cum praef. Joh. Cochlaei.

XXIV. fol. 138. Consultatio super futuro Concilio et propositis a Sereniss. Rom. Hung. Bohemiaeque Rege in presenti dieta coram statibus incliti regni Bohemiae. Anno MDXXXVIII. die 30. Januarij. Ingressus: Sacra Regia Majestas facit quemadmodum Christianissimo regi et amatori huius incliti regni eiusdemque regnicolarum communi fortunæ paci et salutis commodum et conueniens est &c. Praecipua, quæ suadet Faber, sunt: ut Status sub una tres Ecclesiasticos Viros, et Status sub utraque totidem eligant futuros ad Concilium Oratores, atque his utrinque tres Laici, scilicet pro Magnatibus, Equitibus et Civitatibus adjungantur; ut ex duodecim istis uni alicui partes Ductoris dentur; ut omnes simul iter ingrediantur; ut sumtuum faciendorum causa procurator nominetur; denique ut domi constituentur, ad quos Oratores ex Concilio referant.

XXV. fol. 144. Joannis Fabri Episcopi Viennensis de diversis Waldensium seu Picardorum Erroribus Libri tres. Ita promittit Titulus, sed in Codice non nisi Primus comparet in V. Capita tributus, quorum I. de eorum origine, II. de eorum erroribus in genere, III. de eorum sub Rege Uladislao Confessione agit. IV. hanc Confessionem cum recentiore Ferdinando oblata comparat. V. denique inquit, an inter se concordent Confessiones duæ huic

3263

C O D I C E S

3264

Regi eodem tempore a Fratribus *Bobemiae* et *Moraviae* porrectae. Ineditum habeo hunc *Fabri* laborem, ad quem *Aenea Silvio*, *Augustino Olomucensi* et *Jacobo Zieglero* usus videtur, quique varia ad Sectae hujus historiam subpeditat. Initium est: *Fuit in ciuitate Lugdunensi, quae est sita in Gallia Belgica, cuius quidam, cui nomen Baldo &c. Finis: et in interpretatione sacrarum literarum sibi ipsis contrarii sunt.*

XXVI. fol. 180. *Preparatoria: et si non apprime necessaria forte tamen non inutilia Super futuro: et nuper indicto Concilio, Authore Johanne Fabro Episcopo Viennensi. Ex Oeniponte sexta die Mensis Julij. Anno a nato Ihesu MDXXXVI. Confilium Pontifici Cardinaliumque Collegio datum gravissimum, quoque nihil magis providum et in omnia intentum Fabri animum probet. Incipit: Postquam S. D. N. et Rev. ^{moynum} Cardinalium Collegium generalem synodum matura consideratione decreuerunt &c. Delibemus aliqua. Fol. 182. Praecipue considerandum est, ne iterum contingat, quod in Constantiensi ac Basileensi Concilijs accidisse constat: ut septem vel quatuordecim annis Concilium extendatur, ac interim longe deteriores haereses, dissensiones ac schismata oboriantur et renascantur. Paulo post multis urget, Libros Adversariorum jam probe excusos, confectosque inde errorum elenchos ad Concilium adferendos esse, neque hoc negotium nisi constantissimis et probatissimis viris*

demandandum. *Fol. 187. Doctores Italici lectionem eorum librorum commendat, qui in Germania contra Protestantes scripti sunt. Cum Lutherani, addit, scholasticam theologiam penitus contemnant ac rejiciant, ac loco artis sophisticæ habeant, periculum est, ne frater aliquis aut religiosus fraterculus, aut alius in aliqua sessione sophisticum aliquod argumentum, quod in scriptura parum sit fundatum, proferat. A fol. 190. hortatur Papam et Cardinales ad plenam status rerum cognitionem sibi comparandam, ad quam Bulla Leonis non sufficeret, ad procurandam Bibliorum emaculationem, quo loco Sanctem Pagninum honoris causa nominat, ad Protestantium vulgatas Versiones per homines Germanos graece et hebraice doctos examinandas. A fol. 193. ait plurimum studii ponendum fore Patribus in propugnando Altaris Sacrificio et Petri Primatu; in hunc finem comparanda Acta Conciliorum, quae nuper Basileae et Coloniae impressa fuissent. In multis, subjungit, sancti Benedicti monasterijs habentur veterum Conciliorum Originalia: ante aliquot centenos annos in membrana exarata. Ad haec scire debet sua Sanctitas: Basileae esse duo volumina in pergamenâ exarata, in quibus omnia ejus Concilij acta copiosissime etiam nulla scheda praetermissa continentur. Accersenda esse ejusmodi, ut et Autores praestantissimos et antiquissimos, qui a uiginti annis per typographos in lucem editi sunt, et procul dubio*

ab

3265

S Y N O D I C I

3266

ab Adversariis secum sint adferendi, quos dein non nisi cum risu ab iis ipsis oporteret emendicare. *Fol.* 197. Delabitur ad Nationis Germanicae gravamina, abusiones, maculas, rugas ac naevos, quibus magna ex parte facies Ecclesiae defaedata apparet, tollitque hanc liberam vocem: *Ego, si dignus ac idoneus ad consulendum esse possem, ex puro corde Sanctitati in hoc consilium darem, certe meo iudicio abusiones Romanae Curiae (magnum enim est discrimen inter Curiam Romanam, et Romanam Ecclesiam) prius per suam S. essent moderandae, non enim committere debet sua S. ut quilibet aduersarius garrulus et impudens sibi eiusmodi abusio- num tollendarum uendicet censuram ac auctoritatem. Fol.* 200. Viris quibusdam doctis ad Concilium vocandis viaticum exposcit. Nam hi, qui tam fortiter in hanc boram Lutherismo restiterunt, omnes pauperrimi et quouis Codro pauperiores sunt. *Fol.* 203. etiam Bohemos invitandos esse contendit. Ad materiam autem sub utraque specie opus est, bene fundatos esse eos, qui hac de re uel cum Bohemis uel etiam Lutheranis conferre uelint. Sub finem iterato inculcat, maximum esse in mora Concilii periculum. Adhaerent hic, de quibus *fol.* 204. ad Pontificem meminit,

Agg. Lutheranorum, Zwinglianorumque Franckfordiae ad Mennum et Issenack congregatorum Anno MD. tricesimo sexto, et Mense Majo. Sunt aliquot Articuli de S. Coena, in quos tamen dein-

ceps conventum non est. Interlocutorum nomina subscripta sunt. Extat hoc Fabri Consilium unacum Pontificis Responsis Annal. Eccl. Odor. Raynaldi T. XIII. p. 414.

XXVII. *fol.* 211. Censura super noua apud Morauos Pykardorum et cuiusdam indocti impijque Habrawansky secta et falsa religione. Authore Jobanne Fabro Episcopo Viennensi. Incipit: *Sereniss. ac clementiss. domine Rex. Ante triduum placuit S. V. M. tradere mihi quandam Apologiam Cuiusdam Habrawansky et suorum confratrum ac seniorum. — Non est satis, quod Pykardi qui in Bohemia sunt, a Pykardis, qui in Morauia degunt, plus quam in triginta articulis dissentiunt, superuenit jam tertia Pykardorum Synagoga, quae neque sibi, neque aliis constat aut similis est. Id quod articulatim, praecipue de Eucharistia, ostendere conatur Autor. Ad calcem suadet suppressionem Libri, cuius editor neque latine doctus sit, et secularibus negotiis intentus apud Praesides et Iudices rabulam tantum forenssem egerit. Adjecta sunt et alia de Fratrum diversis Articulis iudicia, sed principio et fine mutila.*

XXVIII. *fol.* 238. Collectio quorundam Canonum ex Conciliis Nicaeno I. Ancyrano, Neocaesariensi, Sardicensi, Antiocheno, Laodiceno, Cplitano I. et Carthaginensi XIII. ad confutandos Novatores.

XXIX. *fol.* 245. Consilium pro parte Hus et sibi adhaerentium. De Anno

3267

C O D I C E S

3268

Anno MCCCCXIII. Datum et exhibitum in Congregatione Cleri in die S. Dorotheae. Oppositum Consilio facultatis theol. Studii Pragensis supra N. IV. et plenius editum a Cocblaeo Hist. Huffit. L. I. p. 32.

XXX. fol. 249. Brevis Notitia Concordatorum Bobem. anni 1485. quorum meminimus supra N. IX. data, ut videtur, Job. Fabro.

XXXI. fol. 250. Indiculus Parochiarum Dioecesis Pragenae, ut supra N. XIX. Sed hic plenior; additur enim: Villarum et propugnaculorum facit XXXIII. millia. CXX. Si decimus pro expeditione belli daretur homo, Summa facit CCC. millia. CXX. hominum. Reperta sunt haec superscripta in tabulis Regni Boemiae Anno domini 1534.

XXXII. fol. 252. Errores Waldensium Fratrum. Ut supra N. XXII.

XXXIII. fol. 254. Responsum dominorum sub una specie datum ad articulos eorum qui sub utraque specie sunt: datum Pragae secunda Junij Anno MDXXXVII. Incipit: Domini sub una specie uiderunt ea, que domini sub utraque pro concordia et unitate per certos articulos conceperunt &c. Petitur amicum Colloquium circa quosdam nondum satis excussos Articulos, et speciatim de uno totius Regni Episcopo. Exemplar duplex. Alterum Fabri manu limatum.

XXXIV. fol. 262. Aliud Eorundem prolixius Responsum ger-

manicum. Incipit absque titulo: Auf der Herrn vnder zwaier gestalt bedencken vnnd übergebne geschriff, am dreissigsten Maij, So uer der eingang dermassen sol verstanden werden &c. Videntur Status sub utraque petiisse, ut Status sub una mentem suam super Articulis non satis excussis scripto aperiant. Quod itaque hic fieri videmus.

XXXV. fol. 270. Basileensis Concilii Decretum de Modo Communicandi, jam supra N. XV. et XVII.

XXXVI. fol. 273. Articuli statutum Regni Bobemiae et Marchionatus Morauiensis partis fidei sub utraque specie, super quibus oranda est Auctoritas et confirmatio suae Regiae Maiestatis, ita ut et locum habeant apud Dominos status partis sub una, qui in ditione sua sacerdotes et plebem nostrae fidei sub utraque haberent. Sunt Excerpta mutila.

XXXVII. fol. 278. Summa Picardicarum Rerum tum in Bohemia, tum in Morauia. Ut supra N. XII. et XIV.

DCCCCLXVIII.

Codex chartaceus lat. bohem. 477 Sec. XV. Folior. 296. 4. non una manu exaratus, olimque pertinens ad Paulum de Slauikouicz, qui fuit Art. Baccal. Plebanus D. Aegidii, et Corrector Cleri Curiae Archiep. Pragensis. plurima item ad Religionis in Bohemia negotium spectantia exhibet hoc ordine: I. Forma Inquisitionis Concilij